Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift



vel tractabilia sint vel agalmatum

diuina inmundis accepta recte sint. neque mirabilium imaginum
studiosi contemplationis tanquam ueris remaneant figuris. Hoc ergo
agitur per dissimiles figurationes. ut in earum consideratione inmundi
corde et indigni cognitione ueritatis amplius excecentur. Et hii qui
studiosi sunt in contemplatione mirabilium imaginum. hoc est sacrarum
representationum mirabiliter factarum. amplius exerceantur. Sic enim
utrobique iustum iudicium perficitur. ut deus ueritas in manifestatione
quasi uili indumento se contegit. et indignos ad contemptum sui pro
uocet. et dignos ad illam speciem suam que latet concupiscendam. et querendam
inuitet. ut non sint contenti eo quod foris aspiciunt. sed ipsa de
formitate exterioris demonstrationis repulsi. in figuris non re
maneant tamquam ueris. quomodo signum ueritas esse non potest etiam
cum ueritatis sit signum. Sequitur: Diuina itaque honorificant ue
ris negationibus. et ad nouissima compactarum imaginationum
similitudinibus diuersis. Ac si diceret. Quando quidem negationes
in diuinis facte expressius ueritatem eorum significant. et dissi
miles formationes imaginum euidentius puritatem eorum de
monstrant. ergo nullam iniuriam faciunt ipsis diuinis the
ologi sancti. et ueras negationes de ipsis faciendo. et dissimiles
formationes ipsis attribuendo. sed honorificant potius ipsa
diuina ueris negationibus quibus illorum ostendunt excellen
tiam tantam esse. ut quid sint nullomodo possit exprimi. etiam
si aliquomodo quid non sint possint dici. et honorificant etiam ea si
militudinibus. ab eorum sublimitate per humilem formationem
diuersis similitudinibus et imaginationum compactarum ad nouis
sima. hoc est compositarum et coniunctarum ex nouissimis. i. infi
mis et uilibus rerum corporalium speciebus. Sequitur: Nichil ergo inconsequens
est. si et celestes essentias ex inconuenientibus dissimilibus simi